



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



36
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO III.

continens

SEIUS ARTICULI VI.

De

Bonis Operibus,

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

M. JOACHIMO OTTHONE

Colbergâ-Pom.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 21. Martij.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM TERTIUM
IN ANGLIANTIA CONSTITUTUM

DISPUTATIO III

CONCORDIA

DE REBUS ANTIQVARIIS

BONIS OPERIBUS

PROPOSITIO

IN ELECTORALI ACADEMIA VINDOBURGENSIS

ANNO 1711

JACOBO MARTINI S.S. TH.

DOCT. & PROF. PUBL. PRINCIPALIS FACULT. THEOL.

SENIORIS AC ACADEMICI PRAESIDENTIS

PROPOSITIO

DE BENEFICENTIA

COLLEGIUM

IN AUSTRIACA ACADEMIA

ANNO 1711

Typis Haereditariis Salsburgensibus
in Officina Johannis Baptistae Schönbaueri





D. O. M. A.

Proœmium.



Equitur in Confessione nostrâ Augustanâ Articulus sextus, qui est de *Bonis operibus*, cui cum præcedentibus arctissima & individua est connexio. Accurata namq; Methodus ordoq; convenientissimus requirit, ut, explicatâ de gratuitâ Justificatione doctrinâ, nec non mediis, quibus illam Spiritus S. in nobis operatur, ex sacra scripturâ confirmatis, articulus de fructibus fidei Justificantis, hoc est, bonis operibus, subjiciatur: tum, ut in promptu sit, quod Adversariorum calumniis nos opponamus: tum verò præcipuè, quia fides non otiosa, sed per charitatem *ἐνεργουμένη*. Galat. 5. v. 6.

THESIS I.

De his autem verba Confessionis ita habent: *Item docent, (nostræ Ecclesiæ) quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata à Deo, facere propter voluntatem Dei, non ut cõfidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum, & Justificatio fide apprehenditur; sicut testatur & vox Christi: Cum feceritis hæc omnia, dicite: servi inutiles sumus. Idem docent & veteres scriptores Ecclesiastici. Ambrosius enim inquit: Hoc constitutum est à Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, solâ fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.*

III. In variatæ Confessionis Exemplari sic articulus iste

A 2

propo-

proponitur: Item docent, quod cum fide reconciliamur, necessario debeat
sequi iustitia bonorum operum, quæ nobis Deus mandavit, sicut & Christus
precepit: si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Sed quia tanta est infirmi-
tas nature humane, ut nemo legi satisfacere possit, necesse est, doceri homi-
nes, quod non solum Legi obediendum sit, sed etiam quomodo placeat hæc
obedientia, ne conscientia incidant in desperationem, cum intelligant, se non
satisfacere Legi. Placet igitur hæc obedientia, non quia Legi satisfacit, sed
quia persona in Christo est reconciliata fide, & credit, sibi reliquias peccati
condonari. Postea verò placere etiam Obedientiam erga Legem, & repu-
tari quendam iustitiam & mereri premia. Non enim potest Conscientia
opponere iudicio Dei propriam mundiciem, aut opera, sicut Psalmus testa-
tur: Non intres in iudicium cum servo tuo; quia non justificabitur coram te
omnis vivens. Et Iohannes ait: si dixerimus, quod peccatum non habemus,
ipsi nos seducimus. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Deus,
ut remittat nobis peccata nostra. Et Christus inquit: Cum feceritis omnia,
dicite: Servi inutiles sumus. Postquam autem persona reconciliata & iusta
fide, id est, accepta est, placet obedientia, & reputatur esse quædam iustitia,
sicut Iohannes inquit: Omnis, qui in eo manet, non pereat. Et 2. Cor. 1. Glo-
ria nostra hæc est, testimonium Conscientie nostre. Ac debet hæc obedi-
entia repugnare pravæ cupiditatibus, & subinde spiritualibus exercitiis fieri
purior, ne quid committamus contra Conscientiam, juxta illud: Summa Le-
gis est dilectio ex puro corde, & Conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Qui verò
obtemperant pravæ cupiditatibus, & agunt contra Conscientiam, versantur
in peccatis mortalibus, nec fidei iustitiam, nec iustitiam bonorum operum
retinent, juxta illud Pauli: Qui talia agunt, regnum Dei non posside-
bunt.

III. Etiam si forsan nihil sit in rebus ipsis, quo nomine
reprehensionem mereatur variatio ista; succincta tamē & ner-
vosa brevitatis est in prototypo, omnia illa, quæ præcipuè de hoc
loco proponi solent, & de quibus inter nos & adversarios con-
trovertitur, continens, dilucidans & declarans: proindeq; Con-
fessionis laudem Commentario isti merito præripit. Ad sum-
mam: ipsum factum per se in vitio est. Confessio enim publica
à privato mutari nullo modo debebat.

IV. Describitur autem hoc articulo vera sententia de
bonis

bonis operibus, idque *θελικῶς* duntaxat, nullā additā *ἀντιθέσιν*: quoniam tota opposita est hęc doctrina cū erroribus Pontificiorum, tūm criminationibus inter illos vociferantium, contemniā nobis, adeoq; etiam prohiberi bona opera. Nos nihilo minus, post explicationem *θέσεως* in Confessionis verbis contentæ, *ἀντιθέσιν* subjiciemus, & quomodo tūm veteres, tūm etiam inter recentiores Becanus, contra nostram sententiam orthodoxam disputent, videbimus & examinabimus.

V. Potest *θέσις* hujus articuli, ut verbis suis Confessores eam comprehenderunt, doctrinæ gratiā dividi in quatuor partes sive membra, quorum *Primum* continet τὸ ἄν: Quod faciendā sint bona opera. *Secundum* τὸ τί; quæ sint verè bona opera. *Tertium* τὸ διότι, cur illa faciendā; Et *Quartum*, τὸ πῶς, quomodo sint præstandā. De singulis breviter.

VI. *Primum* membrum continetur primis hujus articuli verbis: quod *Fides* illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera facere. Ergo bona opera esse præstandā docetur bifariam: *Primum* necessitate causæ. Positā enim causā necessariā, effectum dari necesse est. Jam *Fides* est causa necessaria bonorum operum. Ergo positā fide in fidelibus, à qua etiam ita dicuntur, sequi in illis & ab illis bona opera, necesse est. Declaratur hoc argumentum similitudine arboris, cum qua fides comparatur. Ut enim omnis arbor bona, teste Christo *Matth. 7. v. 17.* fert bonos fructus: sic *Fides* si adsit in homine, fieri non potest, ut bonis operibus careat. Si autem illa non appareant, fides inesse non potest, ut porro Christus ait: *Putri autem arbor fert malos fructus.* Unde *Johannis Hussi* celebratur dictum: *Bona opera si non appareant extra, equidem fidem ego non credam esse intra.*

VII. Quo expressè damnantur furores *Simonis illius Magi*, *Basilidis*, *Carpocratis*, *Gnosticorum*, *Aëtii*, *Eunomij* & *Libertinorum*, qui monstruosè docuerant, hominibus liberum esse, facere, quæcunq; vellent.

VIII. Porro intelligitur inde, quod *Spiritus sanctus* sit causa bonorum operum efficiens. Dum enim vera fides bona opera parit: fides autem non hominis acquiritur viribus, sed à solo

Spiritu sancto per ministerium verbi & Sacramentorum, in nobis accenditur; Spiritui sancto merito ut fides, ita etiam fructus fidei attribuuntur, 1. Cor. 12. v. 11. *Omnia haec efficit unus ille & idem Spiritus, dividens peculiariter unicuique, sicut vult.* Philip. 2. v. 13. *Deus est, qui agit in vobis, & ut velitis, & ut efficiatis pro bono animi proposito.* 1. Cor. 4. v. 7. *Quid habes, quod non accepisti, quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Phil. 1. v. 6. *Is, qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque ad diem Iesu Christi.*

IX. In quibus tamen efficiendis Spiritus sanctus etiam mente & voluntate hominis renati, non quidem ut trunci instar merè *παθητικῶ* subjecto, sed ut instrumēto *ἐνεργητικῶ* concurrente, utitur, non tamen ex viribus naturalibus, sed ex gratia & auxilio Spiritus sancti regentis illum ad bonum propositum. De *ωρθόσει* hac cordis extat testimonium Act. 11. v. 23. Barnabas veniēs Antiochiam, vidit gratiam Dei & gavisus est, & hortabatur omnes, ut *τῇ ωρθόσει τῆς καρδίας* proposito cordis adhererent Domino, 2. Petr. 1. v. 3. *Divina vis Christi omnia vobis largita est, quae ad vitam & pietatem pertinent.* 1. Petr. 4. v. 11. *Si quis ministrat, ministret tanquam ex virtute, quam suppeditat Deus.* Matth. 3. v. 8. *Facite fructus, qui decent poenitentiam.* 1. Timoth. 1. v. 18. 19. *milites bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, &c.*

X. Concluditur porrò inde, quod *bona opera tantum à renatis fiant.* Nam quicquid ex fide non est, peccatum est, Rom. 14. v. ult. Qui ergo renati non sunt, sed in peccatis harent, mortui, Eph. 2. v. 1. Coloss. 2. v. 13, illorum ut nulla est vita spiritualis, sic operatio spiritualis nulla, & proindè nullum verè bonum opus esse potest. Hinc regula facta est: *Bona opera non ex nominibus, sed ex adverbis iudicanda sunt.*

XI. Quando enim quis bonum opus non *benè* facit, bonum opus dicendum non est. Sic Psal. 109. v. 7. Oratio impii dicitur ipsi fieri in peccatum. Et Esa. 1. v. 13. Sacrificium atq; immolatio peccantium dicitur esse abominatio.

XII. Quare in doctrinâ hac non est attendendum tam ad *substantiam operis*: quam ad *eius modum*, quo factum est. Sic Hypocrita multa potest edere bona opera, quae quoad substantiam
non

non sunt culpanda. *Luc. 18.* in Phariseo non improbat Christus honestam disciplinam, quæ per se magnum decus est: sed ad hærentem hypocrisin, quæ faciebat, ut disciplina illa esset conjuncta cum securitate, impœnitentia, proindeq; fiebat sine pœnitentia, sine timore, sine verâ invocatione & sine gloriâ Dei, & propter hanc hypocrisin tota actio Deo displicet, improbat, & rejicitur. Aliàs per se magnum decus est, & res Deo placens, non raptorem esse, non injustum, non adulterum esse, sejunare, dare decimas: sed fiducia propriæ sanctitatis & justitiæ horribiliter Deo displicet. Et quia in hisce vitiis bonæ istæ Pharisei actiones fiebant, illis inquinabantur, ideoque Deo placere non potuerunt, sed abjectæ sunt, & pro peccatis habitæ.

XIII. Colligitur inde & alterum, *bona opera justificationem non præcedere, sed sequi.* Quod disertis verbis docet & restatur Augustinus l. de fide & operibus, c. 14. Tom. 4. *Bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum.* Et idem Tom. 3. de spiritu & lit. c. 26. *Justificationem, inquit, opera non præcedunt.* Quæ sanè de omnibus operibus intelligi vult Augustinus, propter quæ homo dici possit justificari, sive de condigno, sive de congruo, ut loquuntur Monachi.

XIV. Deinde docet idem Confessio simplici & Categoricalâ assertionem: *Oportet, inquit, bona opera facere.* Ex quo colligitur, quod *studium bonorum operum non sit arbitrium, sed necessarium,* Rom. 13. v. 15. *Non verò necessitate coactionis:* quæ in verâ pietate locum non habet. Spontanea enim fidelium sive filiorum Dei est obedientia, juxta illud *Psal. 110. v. 3. Erit populus spontaneus in diebus exercitus tui, in splendoribus sanctitatis:* hoc est, non cogetur vi & armis, licitoribus & suppliciis, ut in Imperiis hujus mundi sitarum est. Neque enim lege impulsus animo invito serviet Christo; sed spiritu spontaneo ducetur. Conferatur *Psal. 51. v. 14. 21. Ps. 54. v. 8. Rom. 6. v. 12. c. 8. v. 15. c. 12 v. 8. 2. Cor. 9. v. 7. & 6.*

XV. Non ergo de hac, *sed de necessitate ordinis, conscientie, mandati ac debiti* loquitur Confessio. Non enim Deus fide justificatis licentiam dat, quâ liberè & securè pravis suis cupiditatibus indulgeant, sed hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra
1. Theff.

1. Thess. 4. v. 3. Et Rom. 13. v. 8. & 9. Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut
in vicem diligatis. Nam qui diligit alterum, Legem implevit. Siquidem il-
lud, Non mechaberis: Non falsum testimonium dices, &c. in hoc sermone
summam comprehenditur, nempe, Diliges proximum tuum, sicut teipsum.
Rom. 8. v. 12. Debites sumus, non carni, ut secundum carnem vi-
vamus.

XVI. Necessitas igitur, inquam, quæ hæc appellatur, est
mandati & debiti, & quidem inter Patrem & Filios, quæ distin-
cta est à necessitate coactionis. Quod enim non omnis necessi-
tas coactionem importet, aut actioni spontaneæ adversetur,
hinc est manifestum: Oportebat Christum pati, Luc. 24. v. 26. &
tamen oblatus est, quia ipse voluit, Esa. 53. v. 7. Et Apostolus 2.
Cor. 9. v. 5. necessarium dicit, juvare sanctos Eleemosynis: Idem
tamen vult fieri absq; necessitate, quæ hilaritatem datoris tol-
lat. Etiam si quoque servi dicimur justitiæ, Rom. 6. v. 18. hoc tamen
servitium filiale & jucundum intelligendum est, docente sic A-
postolo, ad Rom. 8. v. 14: Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.

XVII. Cæterum necessitatem hanc operum nequa-
quam extendamus ad salutem. Nam à Phrasi hac, *Bona opera
sunt necessaria ad salutem*, abhorret Orthodoxa Ecclesiastum,
quia causam aliquam includit, sine qua salus contingere ne-
queat, tum, quia doctrinam de gratuita remissione peccatorum
& salute, incorruptam in Ecclesia retineri necesse est: partim, ne
Christus debito honore suo spoliatur, cum in nullo alio salus
sit, Act. 4. v. 12. partim ut mentibus consternatis firma stet consola-
tio, quam convelli necesse est, cum primum in causâ salutis de
merito operum vel minima labecula aspergitur.

XVIII. Ut autem ab illa locutione abhorret Ortho-
doxa Ecclesia; sic neque alteram, tanquam oppositam, ullo mo-
do ferre vel debet vel potest, quâ nonnulli dixerunt: *Bona ope-
ra esse noxia ad salutem*. Quamvis enim negari minimè pos-
sit, Bona opera, si quis meriti opinionem illis affingat, detrimen-
to fore maximo, non quidem ex natura sua aut per se, sed ex ac-
cidente, quod, impiæ fiducia accessu, Christo debitus honor sub-
traha-

trahatur: Hinc tamen minimè est confectarium, absolute dici verè posse, quòd bona opera fidelibus noceant; cum in Christiana vitâ usum non maximum duntaxat, sed necessarium quæque habeant.

XIX. Sequitur nunc *alterum membrum* explicans *quæque sint bona opera*; ea Confessio nostra brevissimè, sed verissimè definit: nempe, *quæ sint mandata à Deo*. Ergo illud opus, quod à Deo mandatum non est, non dicitur esse in respectu ad Deum & cultum ejus bonum opus.

XX. Ergo neque illud, quod à Deo permittitur? neque istud. Non enim permissio, sed *mandatum Dei heic requiritur*. Permissa olim veteribus fuit Polygamia: At quia hæc mandato caruit, illam nemo opus Deo, quoad substantiam facti, placens, & sic bonum appellaverit.

XXI. Interim factis illis, quæ *Heroica* appellantur, nihil hoc præjudicaverit. Nam quamvis expressum verbi mandatum non extet, quod sancti illi in patrandis illis suis Heroicis actibus habuerint: minimè tamen ambigendum est, ipsos peculiari spiritûs sancti impulsu actos fuisse.

XXII. Quocirca facta illa in *Exemplum* minimè sunt rapienda, sed præceptis divinis standum: quod est certa omnium actionum nostrarum regula, quam fas nemini fuerit violare, qui studere bonis operibus voluerit.

XXIII. Quandoquidem Deus heic sententiam suam ac voluntatem in Scripturis tam affirmativè quàm negativè satis disertè aperuit. Num. 15. v. 39. & 40. *Non sequantur cogitationes suas, sed memores præceptorum Dei faciant ea*. Deuter. 4. v. 2. *Custodite mandata Domini Dei nostri*. Deuter. 12. v. 32. *quod præcipio tibi, hoc TANTVM facias; nec addas quicquam, nec minuas*. Ezech. 20. v. 19. & 18. *In præceptis meis ambulate, in præceptis Patrum vestrorum nolite incedere*. Matth. 15. v. 19. *Frustra colunt me mandatis hominum*. Sic Apostolus Paulus doctrinam bonorum operum traditurus, jubet probare, quæ sit voluntas Dei bona, placens & perfecta, Rom. 12. v. 2. & 1. Joh. 5. v. 2. *Hæc est dilectio, ut mandata ejus custodiamus*.

XXIV. Hinc licet judicare, quo loco habenda sint confi-

B

lia &

filia & opera supererogationis, quæ barbara impietas Pontificiorum sic appellat. Si enim mandata sint, oportet, quæ placere Deo debent: quo loco Consilia fuerint? Et si mandatorum metâ assequi est impossibile; unde indebitum nascetur, quod ultra debiti rationes Deo præstari queat?

XXV. Hæc ergo tantum sunt bona opera, quæ à Deo sunt mandata: ubi nihilominus tenendum, id non simpliciter & absolutè accipiendum esse, quasi simpliciter & in universum bonum sit opus, si fiat, quod mandavit Deus. Quocirca ad hanc quæstionē, qua quæritur, *quodnam simpliciter bonum, & Deo placens opus appellandum sit*, plura requisita pertinent: utpotè sunt: Persona renata, modus debitus, finis legitimus & similia. De substantia verò facti si tantum quæstiovolvatur, bonum opus dici nequit, nisi quod à Deo mandatum fuerit. Quod si fiat, quod mandavit Deus, saltem quoad substantiam facti, opus illud bonum appellatur.

XXVI. Quocirca licet hoc sit primum bonorum operum fundamentum, & opus nullum sit in se bonum, quin respondeat huic regulæ, mandato nimirum divino: non tamen sufficit; sed conjungenda sunt cætera, quæ in Confessione habentur.

XXVII. Ex hoc solvitur *questio de virtutibus gentilium, An bona opera appellanda sint?* sunt quidem quoad substantiam factorum, si cum lege naturæ, quæ est ipsa lex divina, congruunt. Sin personas, sin factorum modos, sin operum fines consideres, à laude verâ & perfectâ bonorum operum longissimè abesse existimanda sunt.

XXVIII. Ex mandato porrò hoc divino manifesta rursus est summa bonorum horum operum necessitas. Fideles enim debeant semper in memoria & conspectu habere mandata Dei, & quantum in ipsis est, & in hac naturæ imbecillitate fieri potest, omnes suas actiones juxta illa dirigere & instituere. Unde rursus & hoc sequitur, quod *vera fides justificans cum studio peccandi simul stare non possit*, de quo videatur 1. Ioh. 3. v. 6. & 9. Matth. 7. v. 18. Ioh. 3. v. 8. Rom. 8. v. 5. 14. Gal. 5. v. 6. Esa. 61. v. 3. Phil. 1. v. 11. Iac. 3. v. 17. Gal. 3. v. 22. Eph.

22. Eph. 2. v. 10. cap. 1. v. 4. cap. 4. v. 24. Et spectat huc tota disputatio Jacobi cap. 2. cujus summa hæc est:

Solanibil fidei præclara professio prodest,

Quam non externè consona facta probant.

XXIX. Tertium membrum, uti diximus, explicat τὸ δῖόν τινεῖς causas, propter quas bonis operibus studere debeamus, sive, ut loquuntur, *causas impulsivas*. Confessio unam duntaxat in hoc genere allegat, nimirum pro modulo instituti, sed primariam, eam ac reliquarum omnium principem: *Voluntatem Dei*, quæ est præceptis ipsius ac Decalogo præcipuè revelata, ut nimirum illi obediamus. Ab hac autem statim remouet oppositam falsam, nempe, *non ut confidamus, per ea opera justificationem coram Deo mereri.*

XXX. Obedimus autem voluntati Dei, quando bona opera facimus, *partim respectu Dei, partim respectu proximi, partim respectu nostri ipsius, partim denique respectu Diaboli.*

XXXI. *Causa Dei* facienda sunt bona opera non uno modo, sed trifariam: 1. *in ipsius simpliciter obedientiam, 1. Thess. 4. v. 7.* Non enim vocavit nos Deus in immundicia, sed in sanctificatione. Et debitores ipsius sumus, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum vivamus, *Rom. 8. v. 12. Conferatur 6. 13. v. 8. 1. Joh. 4. v. 11.*

XXXII. Deinde *in ejusdem gloriam*. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est, *Matth. 5. v. 16.* tanquam autorem & comprobatorem boni, adeoq; compensatorem *Phil. 2. v. 11. & 13.*

XXXIII. Disputatur hinc: Cum nunquam Deus deficiat in sua gloria, quomodo hæc ipsi dari possit? Respondemus, *Deo dari gloriam non ad augmentum, sed in testimonium*. Sicut enim Johannes Baptista venit in testimonium, ut testetur de luce, cum ipse non esset lux illa, *Joh. 1. v. 7. 8.* nedum daret ei, à quo omnia acceperat, *Joh. 3. v. 27.* Sic bonis operibus suis testantur fideles de gloria ejus, cui obediunt, & se servos sistunt, cum

in se nihil habeant, nisi quod acceperint, & glorificando red-
dant, quod acceperint.

XXXIV. Tertiò in ejusdem Dei nostri gratitudinem. Quæ
respicit beneficia Dei, cum alia omnis generis, tum præcipuè illa
capitalia: 1. Creationis. Dei enim Creatura sumus, conditi in
Christo Jesu ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in iis am-
bulemus, Eph. 2. v. 10. 2. Redemptionis. Apparuit enim gratia Dei sa-
lutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegatâ impie-
tate & mundanis cupiditatibus sobriè (erga nos) justè (erga proxi-
mum) & piè (erga Deum) vivamus in hoc seculo. Tit. 2. v. 11. & 12. Et
ibid. v. 14. hoc nomine tradidisse semetipsum Christus dicitur
pro nobis, ut nos redimeret ab iniquitate omni, & mundaret
sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Et
2. Cor. 5. v. 15. Christus pro omnibus mortuus est, ut, qui vivant, non am-
plius sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus & excitatus fuit. 3. Sanctifi-
cationis. In hoc beneficio non minimum est Evangelium. Hòc
ergo dignè cum primis vivendum esse, hortatur Apostolus, ad
Phil. 1. v. 27. ut Salvatoris nostri Dei doctrinam ornemus in omni-
bus, Tit. 2. v. 10. Luc. 15. v. 10.

XXXV. Secandò causa proximi faciendâ sunt bona o-
pera, qui vel fidelis & amicus, vel infidelis & hostis. Si fidei societa-
te junctus & charitatis nexu devinctus est: sine offensione esse
jubemur, & Judæis & Græcis, potissimum verò Ecclesiæ Dei, 1.
Cor. 10. v. 32. Et Christus graviter minatur ei, qui offendit unum,
de parvulis his, qui credunt in ipsum, Matth. 18. v. 6. Vult etiam, ut
officiis nostris proximum juvemus & sublevemus, adeoq; si res
requirat, etiam animas ponamus pro fratribus, Luc. 6. v. 38. 6. 14. v.
13. 1. Iob. 3. v. 18. Rom. 14. v. 1. Matth. 22. v. 39. Vitemus quoq; scandala, 1.
Cor. 10. v. 32. 2. Cor. 6. v. 3. Phil. 2. v. 15. Ebr. 12. v. 15.

XXXVI. Si sunt hostes & infideles, impietate non sunt
exasperandi, Phil. 2. v. 15. Estote sine reprehensione in medio nationis pra-
væ & perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo: sed potius bo-
nis Exemplis ædificemus, & invitemus ad veram pietatem, 1.
Matth. 5. v. 16. 1. Petr. 2. v. 12. c. 3. v. 1. 1. Cor. 9. v. 22. simulq; improbos ca-
pumniatores beneficiendo pudefaciamus, & os eorum obturemus,
1. Petr. 2. v. 12. c. 3. v. 16. Tit. 2. v. 8. 37. Ter-

XXXVII. Tertiò *causa nostri ipsius* facienda sunt bona opera, (1.) quia fides in nobis debet esse vera, hoc est, viva, quæ esse nequit sine bonorum operum fructu & testimonio, 1. Joh. 4. v. 8. *Qui non diligit, non novit Deum.* Jacob. 2. v. 20. *Fides sine operibus est mortua.* (2) quia sumus filii lucis: Exornemus ergo professionem nostram. (3) Ut spem & vocationem nostram firmam efficiamus, 2. Petr. 1. v. 8. (4) Ut vitemus pœnas temporales & æternas. Deus enim est ultor malorum operum, 1. Thess. 4. v. 6. Et Paulus Rom. 8. v. 13. scribit: *si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et Coloss. 3. v. 6. *Ea propter venit ira Dei super filios inobedientia.* Gal. 5. v. 21. *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Contrà verò Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ presentis & futuræ, 1. Tim. 4. v. 8.

XXXVIII. Tandem respectu *Dæmoni*, operibus bonis studeamus, ne scilicet per impietatem hospitium illi præbeamus. Matth. 12. v. 45. Luc. cap. 22. v. 3. ejusque servi & mancipia efficiamur. Rom. 6. v. 16. Imò potius, ut accusatio ejusdem in novissimo iudicio, deniq; tormenta & carnificina ejusdem infernalis declinari queant.

XXXIX. Cæterum opposita falsa causa bonorum operum impulsiva, in Cōfessione posita, & Pontificiis opposita, est *confidentia meriti justificationis corâ Deo &c.* Additur autem statim causa, cur meritum justificationis bonorum operum negetur. Nam, inquit Confessio, *remissio peccatorum, & justificatio fide apprehenduntur.* Idq; porro probatur S. Scripturæ, & veterum Ecclesiasticorum scriptorum autoritate.

XL. Et res est plana. Nam bona opera sequuntur Justificationem, ut in præcedentibus demonstravimus: Ergo non possunt esse ejus causa meritoria: eum omnis causa sui effectus sit prior. Deindè cum Paulus opponat fidem & opera, & tantum illos duos justificandi modos faciat, quod vel fide vel operibus justificemur, concludat verò tandem quod justificemur fide: Ergò sequitur sententiam Pauli esse, quod respectu operum *sola fide justificemur, & quod bona opera excludantur, non quidem, ne sint, sed ne ingrediantur actum justificationis vel saluationis.*

XLI. Primùm itaque cum Scripturâ dicimus & statui-
mus: quod fides quidem sine operibus justificet, sed nunquam
sine operibus sit, etiam tum, quando sine operibus justificat.
Nemo igitur justificatur, nisi credens, ac fides opus est. Nullus i-
gitur fide justificatur, nisi fidem opus habeat. Semper igitur ad-
miranda est fidei justificantis natura. Et hinc etiâ Lutherus rectè
dixit: *Benè conveniunt, & sunt connexa Fides & Opera: Sed sola fides est,
quæ apprehendit benedictionem sine operibus, & tamen nunquam est sola.*

XLII. Cùm autem continua sit Justificatio, & hâc etiam
is indigeat, qui fervet studio & labore operum bonorum; quæ-
ritur, annon ideò bona opera sint necessaria ad salutem vel ju-
stificationem, *necessitate presentie?*

XLIII. Respondendum hîc est cautè, ne quod cer-
tum negetur, & quod affirmandum est, adjecto vitietur. Cer-
tissimum est, nullum hominem ullo momento justificari, quo
in ipso non simul sit nova qualitas, quæ bonum opus dici pos-
sit. Est ergo necessitas, sed non præsentiae, respectu justifica-
tionis.

XLIV. Distinguendum ergò inter necessitatem præ-
sentiae, respectu fidei, ut est qualitas, & necessitatem præsentiae,
respectu justificationis. Modò diximus, excludi bona opera, non
ut non sint, sed ut actum justificationis ac salvationis non in-
grediantur, hoc est, necessitatem præsentiae statuimus non
posse negari ad fidem, à quâ in actu justificationis excluduntur:
Quare præsentiam illam ingredi, ipsum actum justificationis,
atq; sic necessariò quoq; hujus præsentiam ad hunc actum per-
tinere, id est quod negamus.

XLV. Difficultatem hic quandam pariunt, duæ theses
Doct. Lutheri, in disputatione Anni 20. cui titulus: *Utrum o-
pera faciant ad Justificationem. Fides, inquit, propositione ter-
tiâ, nisi sit sine ullis, etiam minimis operibus, non justificat imò non est fides.*
Et propositione quartâ: *Impossibile est fidem esse sine assiduis & multis
& magnis operibus.*

XLVI. Hæc sanè imperitus facilè contradictionis accu-
sabit. Sed si Fides, ut opus, à fide, correlatè considerata, distin-
guatur,

guatur, conciliatio patet. Quæ fidei relatio rectè explicanda & intelligenda est.

XLVII. Fides ergò ut sibi ipsi, & operi, & sic simul omni operi contradistinguitur, est relatio, seu vox relativa. In relatione autem rectè exponendâ, ad tria hæc potissimum est attendendum: ad fundamentum, ad terminum & relationem. *Fundamentum* hic est notitia, assensus & fiducia, neq; possunt negari hæc esse opera. *Terminus* est Christus apprehensus, per & propter quem justificatur & salvatur credens, hoc est, operibus suis relictis, toto merito Christi innitens. *Relatio* est ipsa Fides, ut est ipsa applicatio.

XLVIII. Etsi verò terminus uti & relatio ipsa, ut tales, non esse possint, sublato fundamento, hoc est, sine notitia illâ, assensu & fiducia, non potest meritum Christi esse applicatum; & fides esse applicatio: ideoque posterior thesis Lutheri verissima est: tamen quod Termini vel Relationis proprium est, non debet cum Fundamento confundi, ut ne Fides quidem, (nempe relatè sumpta, ut in priori Lutheri thesi) justificans sit, nisi sit sine ullis, etiam minimis operibus: cum fides non nisi in Christo hærens, neque propter se, sed propter Christum justificationem adferat; itaq; eò, quod talis est, se quoq; opus, & ut opus, justificare neget.

XLIX. Atq; sic duæ illæ theses conciliatæ optimè consistunt; simulq; quod de necessitate præsentia operum quæsitum fuit, ex veris fundamentis explicant. Distinguendum enim est inter opera bona: quædam sunt *fundamentum fidei*, ut notitia, assensus & fiducia: quædam sunt tantum *fructus consequens*, ut Caritas. De horum præsentia nullo modo propriè dici potest, quod sit fidei necessaria: neque ut sit, neque ut sit viva; sed tantum, ut viva demonstretur. Nam quemadmodum de proprietatibus hominis, ut sunt: risibilitas, docilitas, loqui, &c. non rectè dicitur, quod illarum præsentia sit necessaria, ut homo sit, vel ut sit vivus; sed potius dicendum, hominis vivi præsentiam esse necessariam, si illæ proprietates esse debeant: Tum verò quando hominem non videmus, audimus autem ridentem vel loquen-

loquentem, statim, ex illâ quasi præsentia, præsentem hominem intelligimus.

L. De illis verò bonis operibus, in quibus fides ut relatio fundatur, concedere possumus, quod illorum præsentia sit fidei, etiam ut relationi, necessaria: cum sine hoc fundamento planè esse non possit, juxta communem regulam: *sublato fundamento, tollitur relatio.* Verùm, quod postmodum relationi huic & applicationi tribuitur, quod justificet; id statim tribuendum quoq; esse fundamento, vel ejus præsentia, pernegandum est: cum fides sive applicatio hæc id non habeat à fundamento, sed à solo termino, nempe merito Christi, participet; utpotè quod solum meritorie & efficienter justificet. Quocirca, quia hoc negari nequit, quod nimirum fides non justificet propter præsentiam operum, quæ ipsi fundamentum præbent; sed tantum propter præsentiam meriti Christi: utriusque certum erit, quod sola hæc meriti Christi attendatur, & nequaquam operum præsentia; vereq; dicatur, quod, ut fides justificet, necessaria sit præsentia meriti Christi: non verò necessaria præsentia operum: utpotè, quæ ad hoc opus non pertineant.

L I. Id quod testimoniis adhuc probandum est. Esa. 53. v. 11. dicitur: *Notitia servi mei justi justificabit multos.* Hic sanè *Notitia* justificare dicitur, verum non quatenus opus hominis, sed quia *notitia* Christi justi est. Si dubitas, num correlativè tantum justificet, hoc est, non operando, sed Christum habendo, audi Interpretem Deum apud ipsum Esaiam c. 45. v. 21. & 22. *Deus justus & Salvator, non est præter me, respicite ad me, & salvi eritis omnes fines terræ.*

L II. Hæc disertè traditur Correlatio, nimirum quod credens in solum Deum, respiciendo ad eum, salvus sit. Quod autem credens operetur eo ipso, quo in Christum respicit, verum est, nec sine actione quispiam ad Deum respicit: verum hoc in causa salutis, quasi non sit, statuendum est, etsi sit.

L III. Diligenter enim attendatur, quomodo respectus ille porro explicetur tantum per Jehovam dixit, (nempe respiciens ad Deum) mihi justitia & fortitudo. Benè notetur. respiciens

ciens ille tantum Jehovahæ justitiam & fortitudinem prædicat, easque sibi ad justitiam & salutem unice sufficientes vendicat, ideoque suam non potest venditare. Nam etsi respiciendo agat opus, tamen hoc suum non commiscet homo credens cum justitia & fortitudine Jehovahæ, ut conjunctim operentur justificationem & salvationem: sed misso opere hoc respiciendi, tanquam non ingrediente actum justificationis & salvationis, tantum correlativè, id est, propter unicum & solum mediatorem, Jehovaham, qui fide aspicitur sive apprehenditur; itaque solo respectu CHRISTI per fidem justitia CHRISTI credenti applicatur.

LIV. Audiamus quoque Apostolum Paulum, qui Rom. 4. introducit Abrahamum operantem quidem, inde tamen justificatum negat, ac disertè inquit, v. 5. *Ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia, non quatenus opus, sed quatenus recumbit in eum, qui justificat impium.*

LV. Et tamen notandum est, quod quidem Apostolus de fidei justificatione & salvatione non ita loqui potuerit aut voluerit, ut præsentiam operum simpliciter negarit; sed tantum ad hoc attenderit, quomodo in actu justificationis & salvationis justificandus ad id nihil operari intelligeretur. *Si inquit, v. 14. qui ad legem pertinent, heredes sunt, inanis facta est Fides, & irrita facta est promissio.* Et mox, v. 16. *Idcirco ex fide datur hereditas, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio universo semini.*

LVI. Hoc ergo vult dicere Paulus: Fides justificans est, quæ amplectitur promissionem gratiæ. Gratia totum actum defert Deo, ut ejus sincera & mera agnoscat gratia. Si jam Fides se ingerat, quatenus opus hominis; tum opus humanum confundit, cum verâ illa gratiâ, a deo quæ adulteratam sibi proponens promissionem, seipsam quoque, ut falsâ promissione nitentem, reddit inanem.

LVII. Intelligitur inde, quod Fides relativè justificans ea sit, quæ in gratuitam promissionem intuens, sui obliviscitur, neque se, ut opus hominis ingerit gratiæ, sed gloriatur, sibi solum
C Chri-

Christum ingeri, quem teneat, in quo assurgat, cui se totam daret & dedit.

L VIII. Cujus rei dilucidior adhuc explicatio extat Rom. II. v. 6. *Quod si per gratiam, non jam ex operibus: quandoquidem gratia jam non est gratia. Si ex operibus, jam non est gratia: quandoquidem opus jam non est opus.* Sanè, gravis est hæc oratio, gratiam & opera, ut opposita, sese mutuò perimentia statuens, quatenus ex alterutro salus hominis sponderi ac dependere dicitur. Quare, si respectu justificationis & salvationis simul stare nõ possint gratia & opera nostra, sequitur necessariò, fidem, intuentem gratiam, ab operibus averlam esse; &, licet aliàs opus sit, tum tamè ab illo respectu opus esse desinere, sicut Paulus ait: *Opus jam non est opus.*

L IX. Imperito hæc citra auctoritatem Apostolicam ab alio dicta viderentur inania figmenta vel subtilitates vel argutiæ Theologo indignæ, postquam autem Apostolus inquit: *Opus non esse opus*, quatenus in foro gratiæ & respectu ejus, cui gratia destinata est, æstimatur, palàm est, hanc distinctionem, esse veram, utilem, & in Theologia cognitu necessariam, ab illis verò turpiter agi, qui nihil in Theologia probantes, nisi quod promptum & pervulgatũ sit, quamvis talia exquisitiora audiant, quomodocunq; etiam ex verbo Dei probentur ac demonstrantur, fastidire tamen doctrinam non desinunt.

L X. Adhuc unum ex Eph. 2. v. 8. 9. 10. addam: *Gratiã salvati estis per fidem, idq; non ex vobis, Dei donum est. Non ex operibus, ne quis gloriatur: nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Jesu ad opera bona, que præparavit Deus, ut in eis ambularem.*

L XI. Paulus sanè hæc præoccupando testatur, Phrasin hanc, *gratiã hominem salvari per fidem*, suggerere posse non admonito, ejusmodi gratiam intelligendam esse, cui Fides, ut opus, commisceatur; non igitur mirum, si quis pronus ad sententiam istam rapiatur. Quod si quis tamen non sua sequatur cognita, sed Apostoli dictata semper in conspectu habeat, res expedita est, quod gratiã per fidem salvandi absq; operibus salventur; cū hoc modo Fides semper operibus opponatur, hæcque, fide solã
reli-

relictâ, excludantur, Rom. 3. v. 21. 22. Item v. 28. Rom. 4. v. 5. 6. 13. Gal. 2. v. 16. & seq. &c.

LXII. Obseruetur & hoc respondere nonnullos, *Fidem non esse opus nostrum, sed Dei.* Et quidem rectè illos sic cum Augustino respondere; sed meo iudicio *non sufficienter*, nisi distinctione aliqua observatâ & additâ. Nam etiamsi sic maneat, nos per opera nostra, quæ ex nobis sunt, non saluari; relinquatur tamen & hoc opinabile, nos per fidem, ut opus Dei in nobis, nobisque inhaerentem qualitatem, & in nobis à Deo per verbum productam virtutem efficacem, & sic adhuc ex operibus quodammodo nostris saluari. Nã, licet Fides ita sine nostra *συνεργεία* à solo Deo & Spiritu S. in nobis producat, & sic *Dei solius* sit opus; fit tamen *nostrum*, quatenus in nobis producit, & post productionem in nobis, ut qualitas alia inhaeret.

LXIII. En hanc Objectionem prævidit Apostolus: quare non subsistit in dato responso: *Gratiâ salvati estis per fidem, idq; nō ex vobis*: non, inquam, in hoc responso subsistit; sed progreditur & addit. *Non ex operibus, ne quis gloriatur.* Nota: Indefinitè & indeterminatè dicit: *Non ex operibus*: ut omnia nostra opera excludat, five à Deo sine nobis, five à Deo mediantibus nostris viribus in nobis sint effecta; atq; sic ipsam Fidem, ut opus nostrum simul exterminet. Hoc enim dicere vult Paulus: non solum Fides non est ex vobis, sed etiam fide salvati, non salvamini tanquam ex opere, ne hac quoq; ratione gloriemini.

LXIV. Si autem vel maximè Fides, ut opus, in actu justificationis esset consideranda ac sumenda, tum distinguenda foret, quatenus *opus Dei est*, (excluso nimirum illo respectu, quod nobis ut Qualitas inhaereat) ab eo, quod *opus nostrum* propriè existit, & sic salvet, non agentibus nobis, sed solo agente Deo, hoc modo, ut Spiritus S. excitâdo per auditum verbi in nobis fidem, nos justificet. Nam quando hoc opus in nobis producit Deus, statim exurgit Relatio, hoc est, applicatio meriti Christi, sicq; justificatio perficitur & absolvitur: & rursus nihil nobis gloriationis, quasi ex operibus salvemur, relinquatur. Nã opus illud non est nostrum, sed Dei: & deinde non est id, quod

principaliter operatur, sed tantum *instrumentaliter*, cum vel in hac ipsâ actione nihil aliud agat fides, quàm apprehendat, & applicet causam principaliter agentem, nempe, meritum & iustitiam Christi: quæ principaliter, meritorie & efficaciter nos justificat. Ut sic hoc ipso etiam respectu ac modo nullam aliam rationem nanciscatur fides, quàm instrumentariam, quam soli fidei libenter concedimus Lutherani.

LXV. Atque huc pertinet, quod Psal. 80. v. 20. dicitur: *Domine Deus, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Quod ita interpretari possumus. Effice, ut tuo opere, hoc est, fide te apprehendamus, & credentes nos vicissim amplexeris, & salvi erimus.

LXVI. Tandem neq; in hoc subsistit Paulus, ut demonstret ex operibus neminem justificari, sed ne quis hac doctrinâ abutens, bonorum operum nullam rationem habere dicat, progreditur v. 10. & explicat, *quomodo Deus hoc suo dono aliter utatur*, nempe, ut absq; operibus iusti & beati in iis ambulemus, sciremusq; ea ad hoc esse præparata, ut obedientiam nostram declarem, & tamen opinionem meriti, aut causæ iustitiæ coram Deo vel salutis in iis ponendæ fugeremus.

LXVII. Quæritur porrò, annon & hîc usus sive fructus bonis operibus adscribi possint, *quod conservent fidem*: cum teste Petro 2. Epist. c. 1. v. 10. finis illorum sit, ut *Vocationem & Electionem nostram firmam efficiamus*; & Paulus docet 1. Tim. 1. v. 18. 19. quod *retinens bonam conscientiam, fidem quoq; retineat.*

LXVIII. Fuerunt sanè, qui bonis operibus hoc tribui putaverunt, quod *necessaria sint ad salutem, quia conservent eam.* Verùm illis opponimus hanc Orthodoxam sententiam, quod *bona opera non conservent fidem & salutem, etsi mala opera excutiant fidem, & perdant salutem.*

LXIX. Quod ergo attinet dictum Petri, vel in illo intelligitur Vocatio & Electio firmari in se, aut in vocatorum, sive etiam Electorum mente confirmari.

LXX. Prius negamus: quia Vocatio & Electio est ex se firma & certa, & tantum à Deo, non ab operibus nostris pēdet. Con-

Confer, Eph. 2. à v. 5. usq; ad 10. Posterius verò affirmamus, & probat illud Paulus Rom. 8. v. 14. 15. *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, accepistis autem spiritum adoptionis, per quem clamamus: Abba, pater.*

LXXI. Quare, quemadmodum Spiritus sancti motu bene operantur credentes, & spiritus eo testatur, eos esse filios Dei; ita bona opera, ex spiritu profecta, autorem Spiritum S. arguunt, & hujus accedente testificatione testantur de veritate Vocationis & Electionis, ut menti credentis ratificentur. Ita igitur utraque firmam efficere dicimur, nobis ex ipsis operibus redundante testimonio de Spiritu agente nos, nobisque hujus arrhabone certificatis de verâ vocatione & electione, cujus firmitas est in proposito & *evdonia* Dei.

LXXII. Omnino etiam rectè dicitur, quod retinens conscientiam bonam retineat fidem, quia *bona conscientia non est sine fide*. Quod si verè propterea illa hanc conservare diceretur, ordo causæ & effectus permutaretur, quod perversè fieret.

LXXIII. Quod autem bonis operibus non tantum in suo genere conceditur, quod malis in suo, cum oppositorum opposita debeant esse effecta; ad illud usitatè respondetur: *Mala opera integrè mala esse, ideoq; damnationem mereri. Bona autem non esse perfectè bona, ideoq; non simpliciter oppositum damnationis mereri.*

LXXIV. Inquis, *non simpliciter*: Ergo secundum quid? Neq; hoc verum est. Quandoquidem ex actu justificationis ac salvationis simpliciter bona opera excludenda esse diximus. Sciendum ergo, quod bona opera tantum Deo placeant propter Fidem; quæ illorum est perfectio: Ergo est illorum perfectio non in nondum justificatis; quippè in quibus nulla fides; sed in *actu justificatis*, qui sunt tales per fidem. Neq; etiam perfectio illa est qualitatis inhaerentis, sed imputatio divina, accedens extrinsecus; neq; ergo propriè propter fidem, sed propter Christum fide apprehensum: Nam propter hunc apprehensum probat Deus, quicquid in homine acceptum.

LXXV. Et colligitur ex his, cum Fides bonorum operum sit perfectio, & ut bona sint Deoq; placeant, id ex fide habeant; quod non opera fidem, sed Fides bona opera conservet, adeò, ut

quamdiu Fides in homine est, nullus locus detur peccatis mortalibus & regnantibus. In exquisitiore enim declaratione certum est, prius abjici fidem, quam peccatum regnet, ut ipsa incredulitas sit causa mortalium peccatorum, istaq; fidei cedenti succedat. Rursus tamen *Fides non abjicitur, nisi tentata contrario*. Si igitur cedit sibi repugnantibus cogitationibus, hæ ipsæ sunt mala opera, pellentia fidem. Ubi autem nulla fides, ibi etiam salus nulla, cum salus animarum sit finis fidei, *1. Petr. 1. v. 9.*

LXXVI. Sequitur nunc *ultimum* membrum, quomodo *facienda sint bona opera*, quod negativè expressit Confessio. Affirmativa hujus doctrinæ, quæ etiã ex hæctenus dictis manifesta, hæc est: *Bona opera, ut DEO placeant, ex Fide proficisci debere*. Im-mota enim est ac manet scripturæ Regula: *sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr. 11. v. 6.

LXXVII. Fides autem intelligitur vera in meritum, Christi fiducia, per quam ubi remissio peccatorum est accepta, & sic persona Deo primùm reconciliata, tum quæ ex fide ista fiunt opera placent Deo, & operum bonorum nomen propriè merentur. Propter controversiam verò, quæ hac etiam in parte Ecclesiæ nostræ cum Papatu intercedit, Antithesin Confessio exprimere maluit, sic docens: *Facienda sunt bona opera, non tamen ut confidamus in illis*.

LXXVIII. Quæ verò antithesis rectè intelligenda est. Non enim id requirit, ne quispiam pius vel erga seipsum, vel erga alios homines bono conscientia testimonio frui, vel etiam ad inculpata vitæ suæ cursum, pro renatâ, & quando opus est, provocare possit vel debeat. Sanè Apostolus Paulus ipse 2. Cor. 1. v. 12. gloriam suam hæc esse, inquit, testimonium conscientia suæ, quod in simplicitate & sinceritate Dei conversatus sit in hoc mundo. Et adeò testimonio isto fruitur, ut satius sibi esse pronūciat, mori, quàm gloria istius jacturam facere, 1. Cor. 9. v. 15.

LXXIX. Sed alia sunt, quæ locutione istâ damnantur: *Superbia & mentis exaltatio*, quâ operum conscientia inflatus quispiam ita effertur, ut & alios præ se condemnat, & ne quidē se coram Deo humiliet, uti hujus fastus exemplum nobis Christus exhibuit in Phariseo, *Luc. 18. v. 11. seq.* Hinc Augustinus non dubitavit

cavit pronuntiare, meliorem esse peccatorem humilem, quam iustum superbum; Et Optatus in eandem sententiam dixit: *Meliora sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia.*

LXXX. Alteram quod reprehenditur, est spes sive opinio meriti, uti vitium hoc Confessio disertis verbis explicat. Cū igitur meriti opinio in operibus bonis collocatur, hoc est, cum salus, vita & iustitia coram Deo consistens, ex ipsis quaeritur, hæc ipsa quoque est fiducia sive confidentia in operibus, quæ modus piæ operandi corrumpitur.

LXXXI. Atque hoc cum primis Pontificiis opponatur, qui vocant hanc *sobriam fiduciam*, eamque in operibus collocare non nefas esse contendunt. Verum de hoc pluribus in Antithesi. Hæc pauca tantum perpendenda hac vice Pontificiis objicimus. Esa. 64. v. 6. *Omnes iustitiæ nostræ sordidae sunt.* Et i. Joh. 1. v. 8. *Si dicimus, quod peccatum non habeamus, ipsi nos decipimus, & veritas non est in nobis.* Luc. 17. v. 10. *Cum omnia feceritis, quæ præcepta fuerunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: quia quæ debuimus facere, fecimus.* Unde Coronidis loco concludimus: Meritum quaerere, ubi debitum est; iustitiam venditare, ubi culpa est, extremæ est dementiæ.

Præstantissimo atque Eximio Dn. M.

Otthoni, Respondenti, amico suo
honorando.

TV, Joachime, bonâ, bona laudas mente probasque,
Facta, benè & sunt quæ, studiosus amas.
Est aliquid permulta tenere, retenta docere,
Majus at est opere id condecorare bono.
Quod facis, urge opus, & factis certare probatis,
Perge: Deo multum gratior ipseus eris,

Imq; f.

M. Johannes Scharfius,

Log. & Metaph. Pro-
fess. Publ.

In Di.

In Disputationem

DE BONIS OPERIBUS

præsentem.

Ad Præstantiss. Eruditiss. atq; humanissimum ejusdem
Respondentem DN. M. OTHONEM, fautorem & amicum
dilectissimum, & Sympatriotam singula-
riter suspiciendum.

ITe ô mancipia Idoli turpissima vestri
Mentiri egregiè & fallere docta cohors.
Quid blaterare juvat, quid persuadere popello,
Coetu opera in nostro nos prohibere bona?
Publica judicia his vestris contraria monstrant
Nostra nugis, trita stant ut aprica viâ.
Vos quibus innocuos nostros damnare soletis
Damnamus scelera his, funibus, ense, rotâ.
Justo igitur graviter qui damnant crimina zelo,
Culpari hi poterunt, quod bona facta vetent?
Turpia prætereà mendacia vestra refutant
Publica Nostrorum dogmata, templa, Scholæ.
Confirmare fidem, bona, non causare salutem
Nostra opera, ex verbo credimus & loquimur.
Credis id & loqueris, calamo hoc & voce tueris,
Mens eadem & magni Præsidis, OTHO, tui est.
Gloria sit CHRISTO, precioso sanguine cujus
Et λύτρω & merito turba redempta sumus.
Hostibus interitus, Satanae confusio cedat,
Hicq; aries portas destruat Orce tuas.
GLORIA NULLA MEI MERITI, SED SANGVINE MVNDOR
CHRISTE TVO, SOLA IVSTIFICORQVE FIDE.
Sint sua Virtuti & Pietati premia, at illa
Det gratis, TVA que GRATIA SOLA BEAT!

l. m. q; f.

M. Johan. Segerus P. L. R. C.
& Schol. Witteb. op.
Rector.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092



SB

Repro

VD 77







36

TERTII Confessionem

IO III.

ens
CVLI VI.

peribus,

ta
nia V Vittebergensi

IDE

RTINI S.S. Th.

imario, Facult. Theol.

Arcis Præposito,

DENTE

OTTHONE

-Pom.

llegii Veteris
Martij.

ERGÆ,

AVERBACH, Acad. Typogr.

DC XXX.